

PER. Sine me scire. **EP.** Scibis, audi. **AP.** Sapit hic pleno pectore.

EP. Opus est homine qui illo argentum deferat pro fidicina;
nam te nolo neque opus factost. **PER.** Quid iam? **EP.** Ne te censeat
fili causa facere, **PER.** Docte. **EP.** Quo illum ab illa prohibeas:
ne qua ob eam suspicionem difficultas evenat. 290

PER. Quem hominem inveniemus ad eam rem utilem? **EP.** Hic erit optimus,
hic poterit cavere recte, iura qui et leges tenet.

PER. Epidico habeas gratiam. **EP.** Sed ego istuc faciam sedulo:
ego illum convenientiam atque adducam hunc ad eum quoias fidicina,
atque argentum ego cum hoc feram. **P.** Quanti emi potest
minimo? **EP.** Illane? 295

ad quadraginta fortasse eam posse emi minimo minis.
verum si plus dederis, referam, nihil in ea re captiost.
atque id non decem occupatum tibi erit argentum dies.

PER. Quidum? **EP.** Quia enim mulierem alias illam adulescens deperit,
auro opulentus, magnus miles Rhodius, raptor hostium, 300
gloriosus: is emet illam de te et dabit aurum lubens.

face modo, est lucrum hic tibi amplum. **P.** Deos quidem oro. **E.** Impetras.

AP. Quin tu is intro atque huic argentum promis? ego visam ad forum.
Epidice, eo veni. **EP.** Ne abitas prius quam ego ad te venero.

A. Vsque opperiar. **P.** Sequere tu intro. **E.** I, numera, nil ego te
moror. 305